

efferantur quæ alta voce sunt cantanda, latine vero cætera omnia dicantur quæ submissa voce a Sacerdote recitari debent; imo eousque ventum est, ut, antiquo idiomate slavico relicto, lingua moderna croatica vel serbica ea cantentur quæ ex præscripto Rubricarum Missalis Romani cantanda sunt; hujusmodi vero nova linguarum liturgicarum mixtura non nisi per ratihibitionem Romani Pontificis legitima fieri potest. (Nilles, *Kalendarium utriusque Ecclesiæ*, II.) Hac de re S. Rituum Congregatio resolutiones varias elicere censuit, die 13 Februarii 1892 (Decret. n. 3768), quibus inter alia præscripsit linguam slavicam in functionibus liturgicis, ubi legitime in usu est, debere esse antiquam, non modernam sive vulgarem; deinde novas regulas pro usu linguæ slavicæ statuit per Litteras 5 Augusti 1898 (Decret. n. 3999); et declarationes dedit super usu linguæ palæoslavicæ, per Decreta 14 Augusti 1900, et 14 Martii 1902 (cfr. *Ephemerides Liturgicæ*, XIV, 1900, pag. 59; et XVI, 1902, p. 289).

§ 2. De Missali Romano

Q. 22. *Quis liber liturgicus vocatur Missale Romanum?*

R. **Missale Romanum** vocatur præstantissimus ille liber liturgicus qui continet ordinem et regulas, scilicet preces dicendas, ritus servandos, cæremoniasque exercendas, ad celebrandum debite secundum ritum Romanæ Ecclesiæ Sanctissimum Missæ Sacrificium.

Q. 23. *Quid notari potest ex priorum sæculorum testimoniis, relate ad formulas adhibendas in celebratione SS. Missæ Sacrificii?*

R. I. Nulla amplius exstant certa testimonia liturgici ritus aut formulæ Missæ temporum Apostolicorum. Cardinalis Bona censet Apostolos non unam formulam, sed diversas adhibuisse: brevem quidem, cum temporis angustia vel persequentium metu premebantur; qualem intendit S. Gregorius Magnus, dicens Apostolos Oblatorum Consecrationi nihil præter Dominicalem Orationem adjunxisse; prolixam vero, cum per tempus et occasionem licebat; crescente enim fide-

lium numero, ceperunt jam ipsi Apostoli lectiones, preces, cæremoniasque adjicere, quibus et Sacrificii dignitas clarius elucesceret, et major Ipsi veneratio conciliaretur, pietasque fidelium ac fervor magis accenderentur.

Hæc Apostolorum Liturgia, quæ communiter nominatur **Liturgia Clementina**, tribus prioribus sæculis in omnibus fere partibus immutata remansit, et quoad essentiam conservata creditur in Libris II et III **Constitutionum Apostolicarum**, quæ Constitutiones verosimiliter compositæ fuerunt in Asia minori.

II. Successivis temporibus in Liturgia Apostolorum a Romanis Pontificibus abbreviationes et mutationes factæ fuerunt, præsertim a S. Damaso († 384) et a S. Leone I Magno († 461); S. Gelasius I († 496) partim formulas a præcedentibus Pontificibus statutas assumpsit, partim Præfationes et Orationes stylo vere liturgico adjunxit; S. Gregorius I Magnus († 604) tandem opera prædecessorum suorum in Sacramentarii volumine coarctavit, multa subtrahens, pauca quædam convertens.

Exstant hodie tamquam antiquissima hujus epochæ monumenta:

1° **Liber Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ**, qui etiam vocatus fuit **Sacramentarium Gelasianum**, cujus exemplar sæculi VIII exeuntis reperitur in Bibliotheca Vaticana. (Novam ejus editionem curavit H. A. Wilson. Oxford. 1894.)

2° **Sacramentarium Gregorianum**. Quale illud conficit S. Gregorius Magnus, non ad nos pervenit opus, sed reperiuntur exemplaria sæculi VIII exeuntis; tunc enim (784 inter et 791) S. Adrianus Papa ad Carolum Magnum misit exemplar, cujus transcriptiones tunc temporis factæ non paucae adhuc in variis bibliothecis asservantur.

3° **Sacramentarium Leonianum**. Est quidem liber Romanus, sed collectio precum a quodam ignoto sine ordine composita, et ab aliis immutata, cui immerito nomen S. Leonis fuit inscriptum.

Sunt et alii hujus temporis liturgici fontes, quos descriptos vide apud Duchesne: *Origines du culte chrétien*. Paris. 1889. Chapitre V, § 1.

Q. 24. *Quinam antiquitus erant Ecclesiae Latinae libri, in quibus praescribentur ea quae in Missae Sacrificio celebrando erant observanda?*

R. Octo prioribus saeculis libri liturgici, quibus Ecclesia utebatur in Missarum solemnibus celebrandis, non uno, sed plerumque quintuplici volumine comprehensi seorsim reperiebantur.

1. Primus liber et praecipuus, **Sacramentarium**, ea continebat quae Sacerdos ad Altare stans recitabat, scilicet Orationes seu Collectas ante Epistolam, Praefationes, Orationes Secretas ante Praefationes, Canonem et Orationes post Communionem. Canon Missae separatim conscriptus in medio Altari ponebatur, uti etiam hodie in Missa ab Episcopo celebrata fit.

Insuper in hoc Sacramentario libro referebantur ritus et ratio conferendi Sacros Ordines, ministrandi solemniter Baptisma, conficiendi Sacrum Chrisma et Oleum Sanctum, reconciliandi poenitentes, et nuptias benedicendi.

Quum ergo ea quae ad omnia seu conficienda, seu administranda Sacramenta, ac praesertim Eucharistiam a vetustissimis Ecclesiae Patribus Sacramentum praecipue appellatam, pertinent, ejusmodi codici inscriberentur, nullo aptiore, quam Sacramentarii, aut Libri Sacramentorum nomine denotari poterat.

Vocabatur etiam **Liber Mysteriorum**, ea praesertim ratione, quia continebat ea quae spectabant praecipuum ex Sacramentis et summum Mysterium Missae.

2. Secundus liber, **Lectionarium**, tradebat Lectiones e Veteri Testamento, e libro Actuum Apostolorum, ex Epistolis, et ex Apocalypsi, per annum infra Missam dicendas. Quia vero ut plurimum Lectiones ex Epistolis S. Pauli Apostoli desumebantur, vocabatur etiam hic liber **Epistolare**, necnon **Apostolicum**.

3. Tertius, **Evangeliarium**, exhibebat ordinem quatuor Evangeliorum quae per anni circulum intra Missam legebantur. Solemne semper fuit vetustis Ecclesiae saeculis, ut non modo ad Missae initium sacratissimus Evangelii Codex magna cum pompa ad Altare deferretur, sed perpetuo una cum Christi Cruce ibi maneret.

Non raro liber iste, quemadmodum quandoque etiam

Lectionarium, appellabatur **Comes**, quia viri ecclesiastici eum tamquam familiarem et individuum Comitem semper secum habere debebant.

4. Quartus, **Antiphonarium**, continebat Antiphonas et Psalmos ad Introitum, Graduale, Tractum, Offertorium, et Communionem, quae in Choro cantari consueverant. Vocatus fuit etiam **Antiphonale**, **Responsale**, **Graduale**.

5. Quatuor isti libri communiter descriptum habebant tantum textum Precationum et Lectionum; ritus vero servandi et caeremoniae exercendae praescribebantur in specialibus Libris qui **Ordines Romani** vocabantur.

Ordines Romani numerantur quindecim, quorum primus, agens de Missa, pro parte referri potest ad finem saeculi VII; sequentes octo agentes tum de Missa, tum de Baptismo, de Ordinatione, aliisque ecclesiasticis functionibus, sunt saeculo IX anteriores; reliqui sex huic saeculo posteriores. Eorum locum tenent hodie Pontificale Romanum et Caeremoniale Episcoporum.

Q. 25. *A quo tempore diversi isti libri fuerunt uno volumine conjuncti?*

R. Cum usus diversorum librorum pro Missis absque solemnitate celebratis, seu privatis difficilis esset, inde a saeculo nono obtinuerunt **Missalia plenaria**, seu pleniter scripta, ea scilicet, in quibus quaecumque in Missis privatis celebrandis legenda singulis diebus praescribebantur, omnino continebantur.

Vestigium tamen antiqui ritus remansit in Missis ab Episcopis celebratis, in quibus Libri plures adhibentur, scilicet Missale et Liber qui dicitur Canon pontificalis. Inde etiam oriri dicunt aliqui auctores usum Tabellae quae ad Crucis pedem ponitur ante Sacerdotem celebrantem.

In nostris Missis solemnibus etiam retinetur usus Lectionarii et Evangeliarium pro sacris Ministris, et Gradualis pro Choro cantorum.

Q. 26. *Quae causa fuit emendandi ac noviter edendi Missale Romanum?*

R. Canon Missæ post S. Gregorium Magnum immutatus semper remansit. Pro reliquis vero Missæ partibus, sequentibus sæculis mutationes et additiones variæ, inconsulta Sede Apostolica, irrepserant, præsertim circa finem medii ævi, ita ut ubique fere desideraretur Gregoriani ritus puritas et simplicitas.

Pleræque diœceses habebant sua propria Missalia. (Cfr. W. H. Jacobus Weale : *Catalogus Missalium ritus Latini ab anno 1445 impressorum*. Londini 1886.)

In nostra Archidiœcesi Mechliniensi, qualis hodie dum extenditur, sæculo XVI in usu erant diversa Missalia, nempe Cameracense, Leodiense, forsitan etiam Trajectense (Utrecht), et Tornacense. In his Missalibus plerumque Ordo Missæ, paucissimis exceptis, erat Romanus; Missæ de Tempore et de præcipuis Festis erant eadem fere quam in Missali Romano, sed præsertim multæ additæ reperiebantur Prosæ et Sequentiæ; in Missali Leodiensi ineuntis sæculi XVI describuntur circiter centum Prosæ vel Sequentiæ. (Cfr. Daris : *Notices historiques sur les églises du Diocèse de Liège*. Tome XV, pag. 128-264.)

Insuper multæ Missæ Sanctorum, et aliæ, diversissimi objecti et tenoris, non raro ineptæ, a privatis quidem sine ulla approbatione confectæ, in his Missalibus erant insertæ.

Q. 27. *Quid in hunc finem fuit a Concilio Tridentino præstitum, et quis Summus Pontifex, et quo anno, edidit Missale Romanum restitutum?*

R. Concilium Tridentinum in Sessione XVIII, 16 Februarii 1562, delectis quibusdam Patribus commiserat ut emendationem Missalis elaborarent; sed instante jam conclusione Concilii, infecto opere, tota res ad auctoritatem iudiciumque Summi Pontificis relata fuit ex Decreto ejusdem Concilii, in Sessione XXV, 4 Decembris 1563.

Quare Summus Pontifex S. Pius V eruditis delectis viris onus hoc demandavit, qui quidem, diligenter collatis omnibus cum vetustis Vaticanæ Bibliothecæ, aliisque incorruptis codicibus, necnon veterum ac probatorum auctorum consultis scriptis, qui de sacro rituum

instituto monumenta reliquerunt, Missale ad pristinam Sanctorum Patrum normam ac ritum restituerunt.

Quod recognitum jam et castigatum S. Pius V anno 1570, 14 Julii, Bulla : *Quo primum*, edidit, et simul statuit et ordinavit, ne quis in posterum, qui Romano ritu celebrare consuevit, alio modo celebret quam juxta Missalis noviter editi formulam, alia Missalia penitus et omnino rejiciendo eorumque usum tollendo. Bulla hæc describitur in initio Missalis Romani.

Q. 28. *Quænam Missalia potuerunt retineri?*

R. Illa Missalia poterant, sed non debebant, retineri, quæ ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, ducentis annis assidue in usu jam erant; ex quo privilegio propria sua Missalia retinere potuerunt aliqui Monachorum et Religiosorum Ordines, ex. gr., Carthusiani, Dominicani.

Plerique Ordines Religiosi occidentales Missale Romanum ejusque ritum sequuntur; sed ipsis Festa propria, ex. gr., Sanctorum et Beatorum Ordinis, eorumque Missæ, imo aliquando Præfationes propriæ, indulta fuerunt; ita, ex. gr., Ordines S. Francisci habent suum Missale Romano-Seraphicum.

Q. 29. *Quid præcipit S. Pius V de obligatione Missalis?*

R. Mandat et in virtute sanctæ obedientiæ districtæ præcipit, ut, cæteris omnibus rationibus et ritibus omissis et rejectis, Missam juxta ritum, modum ac normam, quæ per Missale traditur, omnes decantent ac legant; neque in Missæ celebratione alias cæremonias vel preces, quam quæ in Missali continentur, addere vel recitare quis præsumat.

Q. 30. *Quid in edendo Missali Romano præstituerunt Summi Pontifices Clemens VIII, Urbanus VIII, et Leo XIII?*

R. I. Quum prætextu omnia Scripturæ Sacræ loca in Missali S. Pii V citata ad præscriptum Sacrorum Bibliorum Vulgatæ editionis revocandi (S. Pius etenim retinuerat pro Scripturæ locis textum Italæ, et Vulgata edita fuerat annis 1590-1592), quidam typographi aliique Missalis textum pro arbitrio immutassent, Apostolica Sede inconsulta, Missalia ita depravata a Cle-

mente VIII, anno 1604, 7 Julii, Bulla: *Cum sanctissimum*, fuerunt prohibita et interdicta, et Missale suæ integritati fuit restitutum; ac etiam in regulis et rubricis aliqua uberius ac clarius fuerunt expressa.

II. Urbanus VIII, Bulla: *Si quid est*, anni 1634, 2 Septembris, iterum emendavit Missale, in quo collata omnia cum codice Sacræ Scripturæ Vulgatæ editionis, quæque diversa irrepserant, ad ejus unius exemplum normamque correctæ fuerunt.

III. Leo XIII ultimo recognovit Missale, ejusque novam editionem, anno 1884, tamquam typicam statuit, cui omnes in posterum editiones sint conformes. Hanc commendant: textus rubricarum juxta immutationes anni 1882 dispositus; Missæ omnes pro universa Ecclesia præscriptæ; Missæ votivæ anno 1883 concessæ; Missæque multæ et novissimæ aliquibus provinciis vel diocæsisibus a S. Sede indultæ, quæ omnes suo loco continentur; tandem cantus de quo Summus Pontifex, per Decretum S. Rituum Congregationis, 26 Aprilis 1883, præscripsit, ut aliæ Missalis Romani editiones in futurum huic cantui conformes esse deberent.

Ut inter latas his ultimis annis Decretorum leges Rubricarumque præscriptiones maxima exstaret conformitas, Rubricæ Missalis fuerunt de novo revisæ, examinatæ, et concinnatæ ad recentiorum Decretorum normam; quas additiones et correctiones Leo XIII ratas habuit, et confirmavit Decreto Urbis et Orbis, 11 Decembris 1897. — Missalia ab anno 1899 edita continent has novissimas Rubricarum additiones et variationes, necnon recentiorum Festorum Missas.

NOTA. De Librorum Missalium per diversa sæcula confectione dicitur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 150.

Ibi datur etiam (Q. 152) notitia de diversis Libris qui usuveniunt pro Missarum celebratione, desumptis e Missali Romano, quales sunt Missæ pro Defunctis, Epistolæ et Evangelia pro Missis solemnibus, Canon Missæ ad usum Episcoporum.

Q. 31. *Quot partibus constat Introductio Missalis? Da singularum brevem notitiam.*

R. In Introductione quæ Missali præponitur, seu in Præluudiis Missalis, sex dantur partes:

a) Prima pars exhibet Bullas Summorum Pontificum S. Pii V, Clementis VIII, et Urbani VIII, de quibus dicitur QQ. 27 et 30; sequitur attestatio Ordinarii loci, ubi impressum fuit Missale, de imprimendi facultate, de comprobatione consonantiæ cum authenticis exemplaribus, et de evulgandi licentia, quæ omnino requiruntur; tandem describuntur quædam Decreta Sacrorum Rituum Congregationis. — In Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii exponitur (Q. 153) sub quibus conditionibus imprimi possunt Missalia.

b) Secunda pars, inscripta: « **De anno et ejus partibus** », continet Instructionem de Computo Ecclesiastico, de Calendario Ecclesiastico, cum Tabellis Paschalibus, et ipsum Calendarium. (Cfr. Tractatus de Officio divino, QQ. 79-96.)

c) Tertia pars inscribitur: **Rubricæ generales Missalis**, quæ titulis seu paragraphis viginti exhibet regulas generales circa Missas dicendas, partes Missæ, horam, ritum, vestes, locum, et alia.

Generales dicuntur Rubricæ in hac Introductione Missalis descriptæ, ut distinguantur a Rubricis particularibus, quæ in ipso Missali disseminatæ, quid variis anni temporibus, aut in quibusdam Festis observari, aut adimi vel adjici debeat in peculiaribus Missis, exponunt. (Cfr. Q. 45.)

d) Quarto loco describitur **Ritus servandus in celebratione Missæ**, in quo exponuntur titulis tredecim cæremoniæ in Missa servandæ.

e) Quinta pars agit de **Defectibus in celebratione Missarum occurrentibus**, tum ex parte materiæ vel formæ, tum ex parte ministri conficientis; eorumque defectuum emendationem et casuum solutionem titulis decem exponit.

f) Sexta pars exhibet Preces et Orationes pro præparatione et gratiarum actione Sacerdotis celebrantis.

Tertiæ et quartæ partis auctor fuit Joannes Burchardus, Pontificius Cæremoniarum Magister, qui vixit sæculo decimo quinto exeunte; ipse regulas ex Ordinibus Romanis, et ex traditione acceptas, in unum

redegit ordinem; qui ordo ab ipso editus anno 1502, a Leone X († 1521) approbatus, prima vice additus fuit Missali Romano in editione Veneta anni 1536, et a S. Pio V in restituto Missali, quibusdam emendatis, fuit insertus.

Q. 32. *Quod et quibus partibus constat Missale?*

R. Missale novem constat partibus, quæ sunt: 1° Ordo Missæ; 2° Proprium Missarum de Tempore; 3° Proprium Missarum de Sanctis; 4° Commune Sanctorum; 5° Missæ Votivæ, tum de variis Mysteriis et Sanctis, tum pro diversis rebus; 6° Orationes diversæ in Missis aliquando dicendæ, vel ex præcepto, vel ad libitum Sacerdotis; 7° Missæ quatuor pro Defunctis, cum Orationibus diversis pro Defunctis; 8° Benedictiones diversæ; 9° Missæ Votivæ per annum, correspondentes Officiis Votivis anno 1883 pro singulis hebdomadæ diebus concessis. — Sequitur Appendix continens Missas Sanctorum celebrandas aliquibus in locis particularibus, ex Indulto Apostolico, sive in regione, sive in diœcesi, sive in civitate, sive in ecclesia, etc.

Q. 33. *Quid complectitur Ordo Missæ; in quo loco Missalis ponitur, et quare?*

R. Ordo Missæ complectitur ritus et preces, quæ, cum adhibentur, in quacumque Missa per totum annum eadem occurrunt, estque quasi Commune Missarum. (Cfr. Q. 13.)

Præcipue describuntur in eo preces dicendæ; nam cæremoniæ, in precibus dicendis observandæ, in ipso compendiose tantum, et quasi pro memoria traduntur, cum longius describantur in Ritu celebrationis Missæ, qui sedulo observari debet.

Ponitur Ordo Missæ non in initio Missalis, sed in medio partis primo loco insertæ, quæ continet Proprium Missarum de Tempore. Ibi positus videtur ad commodiorem usum pro Canone Missæ. Deinde ratio congruentiæ sequens affertur: Non immerito hæc immutabilis norma Sacrificii, in quo Mors et Resurrectio Christi symbolice repræsentantur, apposita fuit inter Liturgiam de Passione Domini, e qua omnes Redem-

ptionis gratiæ effluunt, et Liturgiam de Resurrectione Domini, ac sequentibus Mysteriis, per quæ eadem Redemptionis gratiæ usque ad finem temporum transmittuntur.

Q. 34. *Quid continet Proprium Missarum de Tempore?*

R. Secunda hæc pars, quæ initium libri Missalis occupat, continet quæcumque in Missa dicuntur propria (cfr. Q. 13) pro Dominicis omnibus, Feriis, ac præcipuis Solemnitatibus Christi Domini, inde a Dominica I Adventus usque ad Sabbatum sanctum, deinde, interposito Ordine Missæ, a Dominica Resurrectionis Domini usque ad ultimam Dominicam post Pentecosten.

Proprium de Tempore ordinatur secundum ordinem anni ecclesiastici, qui incipit a præparatione ad Nativitatem Domini per Adventum, dein celebrat Christi vitam, mortem et resurrectionem, necnon regni ejus seu Ecclesiæ originem atque incrementum.

Q. 35. *Quid continet Proprium Missarum de Sanctis?*

R. Tertia Missalis pars inscribitur « Proprium Missarum de Sanctis », non quod omnes Missæ ibi positæ, vel ex toto vel ex parte propriæ sint, multa enim in iis de Communi desumpta leguntur; sed quia descripta ibi habentur quæcumque sunt in Missis de Sanctis propria, cætera vero, in aliquo Festo ex Communi sumenda, vel indicantur, vel quandoque etiam integra referuntur ad commoditatem Celebrantis.

Inscribitur « de Sanctis »; attamen quædam, sed pauca, ibi quoque describuntur Missæ de quibusdam Festis Christi Domini.

Cum Festa Sanctorum generatim celebrentur in die eorum obitus, hæc Missalis pars ordinatur, non secundum annum ecclesiasticum, sed secundum menses et dies anni civilis. A computo anni civilis tamen differt, in eo quod in hac parte Missalis ordinis initium desumitur, non a 1 Januarii, sed a 29 Novembris, nempe a Vigilia S. Andreae Apostoli, quo circiter tempore incipit annus ecclesiasticus.

Q. 36. *Quid continetur in quarta parte Missalis dicta Commune Sanctorum?*